



# Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

Viro praestantissimo,

JOANNI CREIGHTON,

VICE-COMITI ERNE,

Propter virtutes ejus innatas,

Eximias, et valde colendas,


Et amicitiam qua se dignatus est,

Ut summae observantiae testimonium,

Dicatas esse

Voluit

A U C T O R.



Nec non,

Viro egregio

JOANNI M'CLINTOCK,

DE DRUMCARR,

ARMIGERO,

Senatori Hibernico,

Qui plurima beneficia in se,

Variis temporibus,

Contulit,

D. D. Cq.

JACOBUS CALDWALL.

Doctor, Hope

with compliments  
His Humble Servant

J. Adams

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

NEPHRITIDE.

**Q**UOMODO secretio peragitur, nobis adhuc parum intellectum est; urinae secretio una cum caeteris caligine obvolvitur.

Si scientia de hac re accuratior et plenior nobis esset, fortasse morbos, quibus glandulae obnoxiae sunt, et varias causas earumque modus operandi, quae morbos illos inducere valent, melius intelligeremus.

A

Quoniam

Quoniam legibus hujusce almae Academiae sancitum est, ut petitores honorum ejus aliquid de re medica in lucem edant, pauca de nephritide igitur, modestia, qua adolescentem et artis medicae rudem decet, proferre conabor.

Professorum hujus almae Academiae examini, quibus omnibus sum devinctus, praesertim Monroeo illustrissimo, cujus humanitate, cura, et artis nostrae peritia nunc superstes sum; hoc tentamen subjiciam.

Urina, textura renum complicata, et variis mutationibus quibus obnoxii sunt, perpen-  
sionis, copia sanguinis quam in statu sano accipiunt, quae ad calculum a Monroeo illustrissimo redacta, decimam sextam partem totius sanguinis massae adaequare reperitur,

## DE NEPHRITIDE. 3

ritur, et adaucta humoris copia, quae ex aliis secretionibus, praecipue cuticulari, suppressis ad eos dirigitur: Ex hisce omnibus collatis, mirum videtur, eos non saepius ab inflammatione tentari; sed nonne hoc ab insensibilitate pendere, conjicere fas est?

Ex scriptis enim Van Swieten, et aliorum, constat, calculos inter pelvem renis, et partes ei proprias, absque ullis doloris aut inflammationis signis, fitos fuisse.

Hallerus doctissimus, de renibus verba faciens, ex nervorum exiguitate, parum sensiles esse, ait.

DEFI-



## DE NEPHRITIDE.

### DEFINITIO MORBI.

Hujusce morbi definitio, Culleno nostro data, mihi maxime arridet, nempe,

Pyrexia, dolor in regione renis, saepe ureteris iter sequens, mictio frequens urinae, vel tenuis decoloris vel ruberrimae; vomitus; cruris stupor; testiculi ejusdem lateris retractio, aut dolor.

Quoniam haec definitio et nephritidi calculosae et verae convenit, cum tantum de nephritide vera verba facturus sum, partem posteriorem definitionis hic praetermittam, propterea quod nephritidi calculosae soli propria est,

HISTO-

## HISTORIA MORBI.

In hac, aequè ac in aliis abdominis et thoracis inflammationibus, dolor interdum febrem praegreditur, et alias febris dolori antevenit.

Febris, cum horripilatione et frigoris sensu, quem calor succedit, et aliis pyrexiarum signis, incipit: Haec tamen modo violentior, modo lenior est.

Dolor in regione renum interdum acutus, alias obtusus, primo sentitur, et hoc, ex parte affecta, pendere potest, quum membranae aut renis superficies afficiatur: Dolor acutus oritur. Quod si substantiam  
renis

## 6 DE NEPHRITIDE.

renis aggreditur inflammatio, dolor obtusus est. Dolor interdum trans spinam tendit.

Cum ren dexter adficiatur, ad eam partem dextri lobi hepatis, quae reni incumbit, inflammatio serpere potest, et ita hepatitidem excitare queat. Quum hic morbus adsit, ex symptomatibus ei propriis dijudicandum est.

Dolores nonnunquam ad vesicam urinariam tendunt. Tussis aut sternutatio dolorem adauget. Æger quoque deliquium animi patitur, et copiosi et viscidi sudores vires ejus conficiunt. Anorexia, nausea, et vomitus, quoque adsunt, constipatio saepe, fortasse a nexu inter renem et colon oriens; et alias diarrhoea supervenit. Fre-

quens

## DE NEPHRITIDE. 7

quens mingendi desiderium dolorificum, et dysuria aegrum laceffunt. Sub initio morbi, urina fere decolor est; quae urinae species morbum violentum plerumque indicare habetur; contrarium tamen interdum accidit.

Postquam morbus per aliquot spatium manfit, urina rubra et mucosa evadit. Æger vix erigi potest, quin animi deliquium patiatur, et in situ horizontali, prae aliis, se melius habet: In latere autem sano aegre decumbere queat.

Quum morbus remediis jamjam dicendis non sanetur, pulsus frequens, debilis, atque intermittens, pervigilium, dyspnoea, et subsultus tendinum, sequuntur, morsque agmen malorum claudit.

Cum

## 8 DE NEPHRITIDE.

Cum ad suppurationem tendit morbus, ut interdum evenit, haec fere adsunt symptomata; nempe, remissio doloris, et gravitatis in parte sensus, horripilationes; articularum initio pulsus non adeo frequentes sunt, sed molliores et irregulares evadunt; postea frequentiores fiunt, exacerbationesque vespertini superveniunt; denique hectica exquisita formatur.

Subita remissio dolorum, virium prostratio, et alia debilitatis signa, gangraenam adesse indicant.

### CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Inter causas praedisponentes hujusce morbi, aequae ac phlegmasiarum omnium,  
habitus

## DE NEPHRITIDE. 9

habitus corporis plethoricus aut diathesis phlogistica primum locum tenet, et causis excitantibus ansam praebet; quae, absque hac opportunitate, parum valuissent.

Altera causa, quae homines ad hunc morbum opportunos reddit, ex prava textura renum, ex staminibus primariis pendente, oritur. Ex Hippocrate constat, homines quadam aetate, prae aliis, nephritidi magis obnoxios esse. Ille medicinae parens, de morbis variis vitae temporibus propriis agens, nephritidem inter morbos senectutis posuit. Hoc verum esse constabit, si halitum cuticularem senibus minui, vasa exhalantia constringi, et sanguinem magis aqua scaterere reputamus, fit ut plus humoris ad renes derigatur.

## CAUSÆ EXCITANTES.

Inter causas hujus morbi excitantes, hæ præcipue sunt: Quæ stimulo eorum organa urinaria excitant, et plus sanguinis ad ea dirigunt. Diuretica, exemp. gratia, cantharides, &c. vulnera et vis externa regioni renum illata, hunc morbum quoque excitant. Colon ab faecibus induratis distensum, renos premendo, ad hunc morbum inducendum valet. Nimia Venus, exercitium violens, nempe cursus et equitatio, diuturnus decubitus, inter hujusce morbi causas recenseri possunt. Frigus corpori calefacto admotum, halitum cuticularem reprimendo, et ita plus humoris ad renes dirigendo, nephritidem

nephritidem excitare potest. Quidem auctores, sed inepte ut opinor, vermes et alia animalcula inter causas excitantes hujus morbi posuerunt. Evacuationes suppressae, exempli gratia, haemorrhoids, menses, originem huic morbi, ab auctoribus quibusdam antiquis praebere dicuntur. Sic Galenus exemplum hujus morbi, ab haemorrhoidibus suppressis profecti, nobis dat. Inde autem apoplexiam, paralyfin, epistaxin, haematemefin, aut haemoptysin, potius induci, ex auctoribus hodiernis constat. In paroxysmis hystericeis, vasa excretoria renum spafmo affici, ab urinae specie patet; quod impetum auctum eorum, et ita inflammationem, excitare potest.

Pauca equidem exempla hujusmodi ab scriptoribus medicis nobis traduntur; hoc  
tamen



tamen minime saepe accidere credo. Podagra aberrans renes interdum petit, et nephritidem excitat. Saepissime ex calculo in pelve renis aut sabulosa materia latente oritur. Quum alter ren calculo laboret, alter spasmō afficitur.

Dr Whyte ait, “ When one of the kidneys is inflamed, little urine is separated by the other, probably on account of a spasmodic constriction of its secretory vessels.”

De origine calculorum nil dicam, quia non ad me pertinet.

CAUSA

## CAUSA PROXIMA.

In operibus Culleni immortalis, causa proxima phlegmasiarum clare explanatur.

Ille vir illustris rationem inflammationis pulchram, phaenominisque congruam, in lucem protulit. Causa proxima nephritidis est penitus eadem ac aliarum phlegmasiarum, nempe, vis vasorum aucta, ex nimia copia sanguinis in ea devecta, spasmō in partibus extremis affectorum.

DIAG-

## D I A G N O S I S.

Diagnosin, in hoc morbo, instituere non adeo facile est. Ex cadaveribus dissectis constat, renes saepe adfectos fuisse, cum nulla symptomata praegressa fuerant, quae hunc morbum indicare censentur.

Inter nephritidem veram et calculosam, diagnosin instituere aggredior.

In nephritide vera, dolor et pyrexia sub eodem tempore oriuntur. Si dolor prior existat, febris cito supervenit, et remissione caret: Dolor et retractio testiculi, crurisque stupor ejusdem lateris, plerumque absunt.

In

## DE NEPHRITIDE. 15

In nephritide autem calculosa, dolores sine pyrexia insigni subinde sentiuntur; atque per itus et reditus se ostendit: Stupor cruris, testiculi ejusdem lateris retractione, aut dolor semper adsunt: Urina sabulosa, quae saepe in nephritide calculosa observatur, discrimen optimum praebet: Diathesis calculosa et morbus haereditarius quoque indicia nephritidis calculosae sunt.

Temperamentum calculis opportunum depingere difficile est; a podagrico tamen non multum discrepare videtur; nam nonnulli et calculis et podagra eodem tempore laborant; et hi morbi se invicem interdum excipiunt: Celeberrimus Cullenus inter podagricorum proles, mares podagra, foeminas autem nephritide, adfici ait. Morbus noster ab enteritide distinguitur, *imo*,  
Sede

## 16 DE NEPHRITIDE.

Sede doloris; nam in nephritide dolor in regione renis, in enteritide vero, circa umbilicum, situs est. *2do*, In nephritide, articularum pulsu: Sub initio, pulsus durus, validus, et frequens; at, in enteritide, parvus, debilis plerumque, quamvis frequens est. In nephritide etiam, alvus non adeo pertinaciter adstricta est, quin clysmatibus emollientibus respondeat.

Ab hepatitide distinguitur tensione et dolore hypochondrii dextri, dolore ad claviculam et summi humeri dextri tendente, et tussi, quae in nephritide vix occurrunt.

Ab lumbagine rheumatica Sydenhami apyrexia et ventriculi affectionibus, et a dolore, qui in lumbagine saepe revertitur.

Ab

## DE NEPHRITIDE. 17

Ab lumbagine inflammatoria in hoc morbo aeger ex situ prono se, sine summo dolore, tollere nequit; quod in nephritide saepe impune fieri potest. A colica, a retractione testiculi, &c. pyrexia, et quia haec cum umbilici et muscutorum abdominalium spasma fere semper comitatur, facile distingui potest.

### P R O G N O S I S.

Haec praecipua symptomata sunt, quae eventum felicem indicant.

Si ratione medendi idonea adhibita sit, doloris lenimen urinae mucosae mictio et sudor calidus per totum corpus diffusus;

C

arteriae

arteriae minus saepe micant, fitis et symptomata febrilia discedunt, somnus cibique appetitus revertuntur.

Si autem dolor pulsatilis in regione renis sentiatur, et stimulatione aut tuffiando augeatur; sudor odore urinae imbutus, febre non cessante, sed potius aucta, frequens et dolorifica micturitio; urina rubra, vel fusca et male olens, vomitus bilis, singultus, pulsus debilis atque intermittens, dolores subito evanescentes, delirium, sudores copiosi, viscidi, et frigidi, infaustum eventum indicant.

His praemissis, de methodo medendi agere nunc me accingam.

M E D E N-

MEDENDI CONSILIA sunt,

Primo, sanguinis impetum per totum systemata, et praecipue per renes, minuere.

I. Copiam sanguinis minuendo,

- A. Venaesectione,
- B. Hirudinibus,
- c. Cucurbitulis cruentis.

II. Irritamenta amovendo,

- a. Intestina evacuando,
  - a. Leniter purgantibus,
  - b. Clysmatibus emollientibus,
- b. Calorem externum amovendo,
- c. Sitem corrigendo.

III.



III. Spasmmum vaforum extremorum tollendo,

A. Sanguinem corporis ad superficiem alliciendo.

a. Diaphoreticis, e. g. salibus neutris,

b. Antimonialibus,

c. Diluentibus,

B. Fotibus,

c. Balneo tepido,

IV. Symptomata urgentia lenire,

a. opiatis.

Nunc tantum restat, ut pauca de remediis ante dictis, et commodis inde oriundis, dicam.

Quo magis venaesectionis effectus perpendimus, eo luce clariore ejus commoda se ostendunt. Nam experimenta plurima observationesque monstrant, ut quaecunque vasa

vasa sanguifera deplere valent, ad phlegmasias sanandas admodum pollent.

Copia sanguinis hic mittenda ab symptomatum violentia aegri viribus et aetate, commodisque, quae antea inde provenerint, statuenda est.

Quod ad copiam sanguinis mittendam, quae uncias viginti superat, larga; quae autem uncias duodecim non aequat, parca habenda est. Quum satis larga copia sanguinis e brachio missa fuerit, dolore in regione renum adhuc persistente, hirudines vel cucurbitulae cruentae parti dolenti admoventae sunt. Multis de causis, has, illis, antepono; quia copia sanguinis per has detracta facilius aestimanda est; hae quoque illis minus irritationis dant.

Purgantia,

Purgantia, quae in hoc morbo adhibenda sunt, lenissima esse oportet; verbi gratia, manna, oleum ricini, cassia fistularis, infusum tamarindorum, haec et alia quae alvum leniter movere valent, utenda sunt. Quae autem intestina multum irritant; quia renes, ex nexu inter eos et colon, afficere possunt, quam maxime vitanda sunt: Itemque cathartica fortasse feбри parum profunt; propterea quod, ad intestina alluciunt, et a superficie avocant.

Cullenus celeberrimus de hac re verba faciens, ait:

“ As we shall presently have occasion  
 “ to observe, that it is of great importance  
 “ in the cure of fevers, to restore the de-  
 “ termination of the blood to the vessels  
 “ on

“ on the surface of the body ; so, purging  
 “ in fevers, as in some measure taking off  
 “ that determination, seems to be an eva-  
 “ cuation not well adapted to the cure of  
 “ fevers.”

Clysmata emollientia, vice purgantium,  
 plerumque adhiberi cum fructu possunt.  
 Haec, intestina et partes vicinas, ideoque  
 renes, partesque iis circumjacentes, laxare  
 valent; et ita irritationem ab faecibus re-  
 tentis oriundam amovent, corpusque to-  
 tum reficiunt. Enemata, maxime idonea,  
 ex aqua tepida cum olei paululo, lactis fero,  
 jure pullino, aut talibus, conficiuntur. Haec  
 enemata quam diutissime retinere oportet.

In hoc morbo, aequè ac in phlegmasiis  
 omnibus, commoda quae ex regimine an-  
 tiphlogistico

tiphlogistico proveniunt, nemini non patient. Nil fufius hic de eo dicam; fed lectores ad Cullenum de febris agentem relego. De potu dicere fat eft, infufum feminis bini, decoctum altheae, emulfionem Arabicum, inter commodiffima effe; quia ftranguriae obftare poffunt. Temperies cubiculi, in quo aeger decumbat, calida nequaquam effe debet. Quaedam corporis pofiturae aliis anteponendae funt. Situs horizontalis corporis maxime convenit. Situs erectus fanguinem ad renes dirigendo, quia tranfitui fanguinis liberiori per aortam descendentem favet, nocere poteft. Quum febrem et diathefin phlogifticam venaefectio et alia remedia minuerint, fudorifica tutius adhiberi poffunt.

Haec

Haec autem indole stimulant, calefacienti, aut aliquo modo acri, esse non oportet. Optima diaphoretica, fortasse, ex aqua tepida cum aromate, aut vini paululo, salibus neutris, dosibus emeticorum nauseantibus parvulis, et subinde datis, conficiuntur. Opiata, nisi ad sudorem excitandum, fortasse nociva sunt.

Epispastica et rubefacientia in phlegmaticis fere omnibus cum fructu admoveri possunt. Hoc tamen in morbo, cantharides, quippe renes viasque urinarias adfici-entes noscitur fortasse sunt. Igitur rubefacientibus posthabendae sunt. Ex consensu inter varias abdominis partes, comoda foveae admotis oriri possunt. Foveae aut balneum tepidum partes laxant, et spasmus tollent.

**D** Semicupium,

Semicupium, ob varia incommoda ex usu ejus orientia, fortibus, me judice, posthabendum est. Hoc tamen cura adhibita cum fructu usurpare potest. Aqua admodum calorem corporis humani non multum superare debet, ne ex stimulo ejus malum oriatur.

Opiata ad quietem aut doloris levamen dandum, hoc in morbo interdum prodesse possunt. Haec autem nisi ad vomitum sistendum, qui aliorum remediorum usui obstat, vel ad irritationem calculis ortam tollendam, aut ad convulsiones pacandas, nunquam utenda sunt; quia calorem ac sitim nec non diathesin phlogisticam augent; etiam si pro tempore symptomatum levamentum dent, ea tamen plerumque graviora brevi revertuntur.